

Johann Bacmeister Christian Lengerke von

## Theses De Hydropo

Rostochi[i]: Pedanus, 1623

**<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729702383>**


Druck Freier  Zugang



R. N. med. 1623.

Johannes Baumeister, Präv.

Christian v. Langerken, Resp.



PE

ni Medico-  
ademia

ISSIMO

STERO

RE Facult.  
ANO

privilegijs


ERKEN

ri horis

d. Typog.

77.

1623



T H E S E S  
D E  
H Y D R O P E

*Quas*

D. O. M. A.

Autoritate & Decreto Amplissimi Medicorum  
ordinis in inclita Rosarum Academia

P R Æ S I D E

CLARISSIMO ATq; EXPERIENTISSIMO  
V I R O,

DN. IOANNE BACMEISTERO

Phil. & Med. Doct. Magnif. RECTORE Facult.  
Med. SENIORE & p. l. DECANO  
spectatissimo,

*Pro summis in Arte Medica privilegijs  
obtinendis,*

*Publica censura subijcit*

CHRISTIANUS à LENGERKEN

Ofn. Westph.

*Disputabitur 23. Maij, in Auditorio Majori horis  
matutinis & pomeridianis.*



ROSTOCHI

Literis JOACHIMI PEDANI Acad. Typog.

Anno M. DC. XXIII,

77.

1623





# DE HYDROPE.

## THESIS I.



Res sunt principes animæ facultates: Vitalis: Animalis: Naturalis: Quarum prima in regio illo viscere (sic enim dicebat Democritus Cor, in Epist. de nat. hum. ad Hippocr.) spiritus vitales; Altera Animales spiritus in Cerebro; Hæ sanguinem generosum ac roseum in officina hepatis concinnat.

2. Facultates hæ ut nobilissimas & cum ad cuiusq; individui, tum ad speciei conservationem maximè necessarias edunt actiones, ita singulæ gravia ac dira symptomata sæpè incurrunt: Calamitosissimorum morborum causas.

3. Naturalis facultas (de cæteris nunc tacebo) sævissimis tentatur symptomatibus: Quæ perniciosos morbos, & symptomata sanitatis bonum depascentia inferunt numero plura. In ijs velut hydra quædam turgida & aspectu fæda eminet Hydrops.

4. Quæ ipsa bestia quum multos interimat, si quæ Hippocr. l. de int. aff. Aret. l. 4. c. i. Dureto in Holler. ipsiq; experientia fides habenda est: Operæ pretium facturum me arbitratus sum, si in hac celeberrimâ arenâ, ejus ortum, genium, signa, curandiq; rationem, brevibus proponerem discutienda: Ut quæ à me rectè constituta, summorum Artis nostræ procerum autoritatibus comprobarentur; quæ sequius, eorundemet censurâ corrigerentur.

A 2

5. Ut

5. Ut igitur (quod JEHOVA altissimus Medicinæ conditor, felix esse jubeat) telam ordiamur, nominis ratio primò omnium exponenda venit: Quippè quæ rerum aliquam imperfectam cognitionem, & opinionem nobis suppeditat. Græcis quidem ὑδρωψ, ὑδρωψ & ὑδρωψις, usitatè appellatur: ὕδωρ ἄρα ab aquâ, ceu materiâ, quæ hoc in affectu potissimum colligitur & coacervatur. Latini aquam intercutem eadem de causâ. Cels. autore l. 2. c. 8. vide Duret. in Holler.

DEFINITION. 6. Est autem Hydrops Tumor ventris vel totius corporis, à seroso pituitoso & flatulento humore, ob læsam hæmatoſin genito, dependens.

7. Alij complures, quorum agmen ducit CL. Rondeletius, symptoma læsæ facultatis sanguificæ in hepate, definire malunt.

8. Alij vero sub titulo excrementorum p. n. retentorum collocant Hydropem: Eò quod, qui ob læsam facultatem pravus in hepate genitus est succus, nullâ unquam coctione mitescere, nec in blandum benignumq; partium alimentum converti potest: Sed inutile atq; impurum manet *ωειήσιον*.

9. Nos hac in parte quemvis suo sensu abundare facile permittimus: Interim cum Holler. Dureto alijsq; præclaris Medicis Tumorem, magnitudinis auctæ morbum, genus Hydropis constituimus.

10. Etenim quamcunq; in partem flatuosus, serosus, pituitosusvè humor concedit, ea confestim turget & in vastam aspectabilemq; molem attollitur, à naturali conditione, & salubri statu diversissimam.

11. Tumor autem vel totum corpus, vel pars, ut venter, & quidem præcipuè à cibo, nunc totus, nunc versus hypochondria, inguina, scrotum; vel genæ & palpebræ intumescunt.

12. Causa

12. Causa efficiens antecedens est *δοσολογία τῶν τῆς ἀμυγ. τῶσως ἔργου.* Causa efficiens antecedens est *δοσολογία τῶν τῆς ἀμυγ. τῶσως ἔργου.* Laesa hæmatosis, vel frustratio sanguificationis: inde namq; ejuscemodi inutilis humor. Causa vero læsæ sanguificationis est gemina. Alia primaria. Alia secundaria.

13. Primario læditur sanguificatio duobus modis: Laesa nimirum facultate: Et ob errorem externum.

14. Facultatem quod attinet, illa læditur à morbo hepatis. Hepate enim malè affecto Hydropem generari scriptum reliquere Hippocr. l. d. int. affect. Galen. d. diff. sympt. & de loc. affect. & alibi.

15. Sunt autem morbi Hepatis alij similes distemperiei, alij organici, alij soluti continui.

16. Similares partes intemperies præcipuè frigida malè habet. Caro en. jecoris insito sibi calore sanguinem oleaginosum coquit & elaborat: Quo ipso debilitato vel imminuto hæmatosin vitiosam fieri consequens est.

17. Quatuor autem potissimum sunt causæ quæ calidum istius visceris infringere, & labefactare apta sunt.

18. Prima sunt res propria qualitate refrigerantes, quarum cum intempestivus, tum repentinus usus immanè quantum temperiei noceat.

19. Ex illis primatum obtinet frigida potus, præsertim à cursu, itinere, balneis, exercitijs laboriosis. Vid. Hipp. l. d. int. aff. & alibi Gal. 2. d. caus. sympt. Aret. l. d.

20. Talia quoq; cibi crudi, duri, visceri, crassi succi, fructus horarij, olera, acetaria, lactuca, ficus, poma, mustum, rapa, ac legumina & id genus sexcenta alia affatim sumpta, imprimis ubi calor in peripheriam corporis dispersus, & venarum oscula dehiscunt. Confestim enim chylus vel crassus, vel aquosus in mesenterij & portæ venas, ipsumq; adeo hepar transsumitur eaq; contactu suo refrigerat.

21. Secundò hepar refrigerant; quæcunq; calorem ejus strangulant & suffocant; ut plenitudo, ex intermissa solenni aliqua evacuatione: Exempli grat. ex suppressis mensibus in fœminis, ex hæmorrhoidum consueto fluxu retento; Synathrismus enim humorum, & pleonexia causa est palindromes succorum ad Hepar, unde tonus ejusdem atteritur & destruitur.

22. Tertio loco sunt, quæ qualitatum similium excessu calorem innatum dissipant. Id faciunt morbi acuti, calidi & sicci, febres, censentibus Hippocr. 2. prognost. Galen. 6. de loc. aff. 1. Paulo 1. 3. c. 48. Motus item violentus & diuturnus, mora sub ☉, vinum meracius, medicamenta nimis calida; Quæ omnia calorem nativum, cujus ὑπερξίς in leni & benigna mediocritate consistit, exacerbare & discutere valent.

23. Quarta causa sunt calori pabulum subtrahentia. Pabulum autem θερμὸν ἐμφύτου est humidum partium radicale. Id igitur si nimis vigilijs, inedia, animi pathematis, hæmorrhoidum vel mensium fluxu nimio, hæmorrhagia narium, vel vasis alicujus majoris, fluore albo, dysenteria &c. absumatur; Calor suo genio defraudatur, & instar flammæ oleo destitutæ extinguitur. Teste Gal. 5. de loc. aff. cap. 7.

24. His, inquam ex causis refrigeratum organon sanguificum, officij demandati munera non nisi negligenter & perfunctoriè, vel depravatè facit, nonnunquam planè intermittit. Atq; sic hydrops ex facili generari potest.

25. Secundum morborum genus Hepar ut organo affligit, Organici autem hi morbi sunt 1. Conformat, in meatibus: Ubi Coarctatio occurrit, vel Anastomosis. Meatus hepatis coarctari dupliciter contingit. Primò ex obstructione: Atq; huic affectui maximè opportunum hoc viscus, ob venarum capillarium ramos, qui numero innumeri, cum à

cava

cava, tum à porta venis porrecti, in totum *περιχουα* hepatis disperguntur.

26. Obstruuntur autem meatus facto crudorum & lentorum humorum, à bile retentà ac tostà, melancholico excremento non segregato, &c. Gal. in art. Med. & M. M.

27. Alter modus quo meatus coarctari diximus est compressio, quæ fit quoties tuberculo, scirrho, inflammatione, vel jecur ipsum, vel vicinæ & adjacentes partes laborant.

28. Dein meatibus quoq; Anastomosis, vel Diaresis accidit, unde sanguificatio diminuitur. Succic en. datà viâ elabuntur, & debitam coctionem subterfugunt.

29. Magnitudinis morbi organon facultatis *ἀμαρτυλην* detinentes, illud suo fungi officio vetant. Istius generis est magnitudo excedens, seu Tumor.

30. Deniq; Unitas soluta efficit ut sanguificatio intercedat. Solvitur autem unitas ulcere & abscessu, erosà & colliquata carne & fibris ab acri, salso, bilioso, corrupto, venenato humore.

31. Finditur quoq; hepar nonnunquam in superficie, ob nimiam ariditatem & exiccationem, quod labijs usu venire, & terræ quoq; à solis radijs exiccata contingere sæpius observamus. Fernel.

32. Tenendum autem Jecur nunc primariò, nunc lege consortij, quo alijs partibus affine, affici. Paulo teste. I. cit. vulgò per consensum dicimus.

33. Ita corde affecto malum Hepati ocyus communicatur. Ventriculus affectus ob vicinitatem Hepati sua vitia de facili affricat. Mesenterij morbos statim participat Jecur. Obstructo inferiore ventre flatus totum corpus percurrunt, & sanguinis fontem refrigerant. Hipp. autore I. d. flatibus. Ductus cystis biliaræ obstructi: Renes imbecilles, inflammati, obstructi, aliove morbo impliciti: Uterus quoq; mola, scirrho

Scirrhus aggravatus, accensus, impurus, vitia ad hepar transmittunt. Hipp. 4. d. morb. & de nat. mul. Paul. l. cit. Coli item intestini, & tenuium, & jejuni inflammatio, hepati nocet. Pectoris & pulmonum vitia substratum septo jecur inficere Hippocrates dicebat.

34. Tantum de morbis facultate impedita sanguificationem lædentibus: Succedit nunc altera causa primaria actionem lædens vel impediens, Error Externus in objecto, Et is quidem committitur, quum salva & illæsa facultate, *περὶ τὴν*, salvo quoq; organo & à morbis immuni, actio ob rem aliquam externam quocunq; modo noxiam intercipitur vel impeditur. docente Gal. 3. d. sympt. caus. 1. & 1. loc. aff. c. 3.

35. Itaq; chylus crudus & semicoctus, vel alia prava qualitate imbutus, cum ad hepar gratia coctionis ulterioris devenit, hæmatosis vel nulla fit, vel vitiosa fit; Non quod facultas & vis coquendi læsa, aut organon malè sit dispositum: Sed quod materia sit inepta ad recipiendam facultatis actionem, ob cruditatis, vel aliud vitium, quod in secunda hac concoctione corrigi perfectè non potest.

36. Nonnunquam excrementa permixta, chylo, quantumvis benè percocto, vitium affricant, qui siquidem facultas haur alienata & viscus benè sanum est, in bonum sanguinem percoqui potuisset, jam verò, proprio peccato, non potest: Adeoq; sanguificatio vitatur.

37. Atq; hæ sunt causæ, quibus primariò sanguificatio læditur. Per accidens quoq; seu secundariò eandem lædi posse dictum est, de quo videbimus.

38. Igitur cum Vegetantis animæ facultates ministræ Attractrix, Retentrix, Expultrix læduntur, per accidens hæmatosis diminui dicitur.

39. Attractrix læditur quum hepar pro generando sanguine,

guine è meseraicis vel nullum planè succum, vel nimis paucum fugit, vel etiam nimium allicit, nullo in ventriculo, vel intestinis hærente vitio.

40. Retentrix laborat, quoties attractus chylus sanguinis materia futura non ad justum tempus, vel etiam ultra id ipsum in viscere detinetur, unde vel adustus & corruptus vel loturæ carnis similis generatur sanguis.

41. Expultrix quoq; vitiata sanguificationem lædit dūmbiliosa, melancholica & serosa excrementa non separat, excutit & excernit. Unde sanguis circa primas venas restitans, ob moram falsam, acridinem contrahit, & tenuis *ιχωρ* in omentum, peritonæum aliasq; vicinas partes exudat & destillat.

42. His inquam ex causis *πύσις*, ἢ *ἀμυγδαλίτης* impeditur, *ἀνάδοσις* intercipitur, & restitantes crassioribus, tenues succi serosi, aquosiq;, velut imber continuus partes irrigant.

43. Porrò affectus hic cognitu est perfacilis, quippe qui ipse sub visum cadit & tangendo audiendoq; innotescit, imò frequente symptomatum, morborumq; sobole abundè sese prodit.

44. Quum autem melius sit ingruenti malo obviam ire, quam præsens, vel inveteratum propellere, atq; illud imprimis à prudente medico requirat venerandus senex I. d. nat. humana: Signa ac notæ adequitantis hydropis paucis hoc loco cognoscendæ sunt.

45. Prodromi itaq; Hydropis sunt Cathexia & malus habitus: Est enim dispositio & initium ad Hydropem, censente Avicennâ cum universâ medicorum scholâ. Omnes item causæ & morbi prægressi. Ut pituita ex diuturna febre non repurgata: Unde flatuum copia & venarum distensio

B

major,

*SIGNA  
futuri  
Hydropis.*

major, quàm pro Plenitudinis ratione, Hipp. Coac. prænot.

Tormina & circa umbilicum & lumbos flatus & cruciatus contumaces. 4. Aph. II.

Macies tumorem præcipuè pedum, quem nec imprægnantio, nec statio, nec labor efficit. præcedens, Hydro-  
pis incunabula arguit.

Aqua æstate ab itinere hausta, nec vomitu, nec per urinam neq; per alvum reddita Hipp. d. int. aff. & i. morb. muliebr.

Hæc si apparent, Hydropem sperare est. Quibus è causarum censu plura addi possunt.

*Signa præ-* 46. Præsentem symptomata complura morbiq; alij com-  
*sentis.* mitantur. Crura & tibiæ ulceribus incurabilibus exulcerantur. Color corporis deflorescit, pallet, vel ex virore albicat. Habitus est mollis & laxus. vires deijciuntur, corpus languet, appetitus prostratus jacet. Tussis arida molesta est. Orthopnæa infestat, & spiritus ægrè ducitur. Præcordia distenduntur, sitis ardens & febris fere lenta urgent. Dejectiones alvina nonnunquam purulentæ, cruentæ, nonnunquam sicca & arida, sæpè etiam mucosa eliquatione remissa. Urina minus laudabilis, tenuis, turbida & quam potus paucior. Marcor & macies juguli, pectoris, coxarum. vide Hipp. in Coac. 4. de morb. & lib. d. aff. int. Galen. aliquot locis. Paul. & Aret. loc. cit.

*Signa prognostica.* 47. De eventu ex causâ vehementia, morbis antegressis, & simul urgentibus, cum morbis, tum symptomatis præagere licet. Qua in re consule Hipp. in Coac. præ. lib. d. prædict. & in Aphorism.

48. Itaq; qui ex acutis morbis oritur Hydrops malus censetur. in Coac. Tussis ab Hydrope excitata lethalis. 6. Aph. 35.

Capitis

Capitis, manuum pedumq; frigus, cum ventris laterumq; calore, mala in Coac.

48. Febris comes, & urina pauca & perturbata lethales nota. in Coac.

Viscera hepar, lien, pulmo si vitiata corruptavè, inflammata vel scirrho affecta, intestina siderata, mesenterium, inflammatum, nulla ferè salutis spes affulget.

49. Salutis omninò contraria sunt signa apud Hipp. d. I. prædict. & in Coac. & 7. Aph. 29.

Inchoante morbo, alvi profluvium aquosum, sine cruditate, morbum solvit. in Coac.

50. Sed hæc hæctenus de Hydrope γενικῶς & universim dixisse sufficiat. Cæterum quum species hujusce affectus sint numero plures, neq; hydropem in genere curemus: singulas ejus species seorsim aliquanto curatius perpendere, ex usu fuerit.

51. Sunt igitur ex sententia Galeni, Pauli Aretæi aliorumq; præcorum Dd. tres Hydropis species, materia & sede distinctæ: Anasarca, Ascites & Tympanias. *Divisio.*

52. Anasarca est tumor totius habitus, aspectabilis & tractabilis, à crudâ & flatuosâ pituitâ. *ANASARCAE definitio.*

53. Ανασάρκα Græcis dicitur, quòd hîc per carnosum maximè genus, juxta, & circa masculos, & in fibris atq; cavitatibus omnibus, pituita alba cumulat. Unde & ὑποπικίδιον, ὑποπικία, σαρκίτης, &c. dicitur. *Nominis ratio.*

Hippocrates λεκόν φλεγμα ἢ λεκοφλεγμονίαν appellat, à colore humoris. Quo sensu & Serenus, ac Horat. l. 2. Od. 2. aquosum languorem in albo corpore Anasarcam describunt. Latini propriè Aquam intercutem inscribunt.

54. In hac specie cum habitus universus frigidâ crudâq; pituitâ differtus, pastæ instar fermentatæ, ut Serapio dixit, *Causa.*

vel instar papyri aut spongiæ, liquorem imbibentis, turgescit: conijcimus concoctionem chyli in sanguinem, in culinâ hepaticâ esse frustratam: Quod malum à calore debili vel intemperie frigida istius sanguifici visceris ut plurimum oritur.

55. Refrigeratio autem seu frigida Jecoris intemperies quibusnam à causis potissimum dependeat, supra Thef. 17. 18. 19. seqq. fusius commemoravimus. Nimirum ab illis, quæ quocunq; modo calorem alterare ac destruere valent. In quibus eminent cibus, potus, aër medicamentaq; frigidiora: hæmorrhagia nimia, &c.

Symptomata.

56. Trahit quoq; Anasarca plurimam symptomatum turbam, quorum quædam cum cæteris communia, quædam peculiariora habet.

57. Color initio pallet, & ægrotus mortuo similis apparet. Etenim cum in Epate & venoso genere non sit sanguis saturo rubore purpureus sed *λευκὸν φλέγμα*, & crassa pituita in capillares venas distribuatur, cutem pallido colore suffundi & tingi non est mirum. Gal. 1. Aph. com. 2. & 4. l. fanit. tue.

58. Pedes ferè intumescunt, cujus rei rationem nonnulli reddunt, quod crura cognationem cum hypochondrijs habeant, monente Steph. Athen. in Therapeus. Gal. ad Glauco. Verissima ratio à partium illarū situ, ignobilitate, humorisq; in eas decumbentis gravitate peti potest. Cum enim longè ab *ἑστία ἐμφύτη τῷ ἤρῳ* Corde sita, & idcirco ignobiliores, tum declives & infimo loco collocata, præterea humores ferosi sint, adeoq; graves: Hi à nobilioribus visceribus membrisq; excussi, insita gravitatis ratione facilè descendunt, & à pedibus promptè excipiuntur.

59. Febrecitant nonnunquam Leucophlegmatici & febre quidem lentâ & assidua. Hipp. Paul. Aet. attestantibus. Id

Id quod mirum videri possit ei, qui hepatis & mesenterij frigidam discrasiam, multa pituitosa humiditate madentem, juxtaq; calorem febrilem ad siccitatem tendentem considerat, quæ sibi invicem adversari liquet. ex 19. Aph. sect. 1. Hippocr.

60. Verum scitum est posita sufficiente causa in actu, effectum præstare esse. Jam verò præterquam quod Anasarca à febribus pituitosis sæpè incidit, splenis jecorisq; moles diaphragmati & thoracis membranis cæterisq; respirationis organis molesta est, ut aërem sufficientem attrahere nequeant. Unde *υπερ*; facillimè generatur.

61. Aliquando jecur inflammatum Cor in consensum trahit. Sæpè humores intus obhærescentes corrumpuntur, putrescunt, & vapores fumosq; acres, putridos, falsosq; ad cor mittunt, illiq; calorem concitant.

62. Neq; obstat quod hydropicorū corpora multa humiditate diffluunt. Essentia enim febris in vitio caloris ejusdemq; excessu actionem lædente, non in siccitate consistit. Quandoquidem & heclicos Hydropem incurrere nec novum est nec rarum.

63. Corpus deinde molle est ac laxum. Sanguis namq; crudus ac pituitosus generatur, qui cum partibus quidem affunditur, non verò agglutinatur, multò minus assimilatur substantiam solido pabulo frustratam flaccescere & laxiorem fieri necesse est.

64. Corpus grave est, enervatum & languidum. Languor oritur à vitio æconomix naturalis. Deficiente enim generoso florido ac vivido sanguine, spiritus & calor, facultatum organa, deficiunt, hinc languor.

65. Urinæ albæ & aqueæ, quandoq; crocæ, Albæ & tenues

vues ob pituitosum humorem quo sanguis diluitur. Lotium autem sanguinis symbolum refert.

66. Prognosis salutis vel mortis, ex causæ vehementia, vel lenitate, symptomatum ac morborum comitatu, insitui potest. Consule Paul. l. 4. c. 5. Cels. l. 3. c. 21. Hipp. 7. Aph. 29. & alibi.

**CURA** 67. Porrò tempestivum est affectus hujusce Therapeu-  
**TIO.** sin auspicari.

68. Initio igitur curæ accuratè circumspiciendum, qualis & quæ causa subsit. Num intemperies, tumor vel scirrhus &c. Deinde an vitium hepatis proprium, vel ab alio membro affecto ei communicatum, quod suis ex signis constat.

69. Sedulò enim annitendum in curatione, ut causa eradiceatur, qua superstite, affectus tolli non potest. Itaq; si jecur principaliter affectum, illi directè succurrendum, si alienum damnum participat, parti afflictæ auxilium ferendum: Epar verò muniendum, roborandum, symptomata tollenda.

70. Quandoquidem autem humor frigidus & crudus, Hydropis continens causa, maximè urget, huic educendo operam dabimus initio. Cui scopo inserviunt tria potissimum instrumenta, Diæta, Pharmacia, Chirurgia.

**Diæta.** 71. Diæta, siquidem magnam vim habet corpus immutandi, adeò ut vel hac solà nonnulli ex hoc malo convalescant, calida erit & sicca.

72. Aer initio eligatur calidus & siccus: E contra pluvius, humidus, frigidusq; fugiendus: Qui vero natura frigidus & humidus, fornace vel foco attemperandus, quod & suffitu ex gumm. & resin, rebusq; alijs odoratis commodè fiet.

73. Cibi

73. Cibi usus temperatus & parcior esto. Hipp. d. int. aff. Celsus fame & siti hic opus esse existimat: Omnino enim, victu exiccante & extenuante hic opus, præcipuè si à plenitudine affectus ortus sit.

74. Acrìa cibum ingrediantur, & arida, quæq; pituitæ ulteriori generandæ materiã non queant præbere.

75. Profunt panis triticeus biscoctus, *Holländisch Zweyß* *baek*. Allium, porrum, sinapi, asparagus, petroselin. pastinac. domestic. lupul. asparagi: Amygdalæ amaræ, ficus, Uvæ passæ.

76. Commendantur carnes, leporina, damarum, capreolorum, hadorum, vitulorum, vervec. E genere volucrum gallinæ, aves sylvestres, alaudæ, in cibum veniant, & quidem assæ & aromatibus conditæ. Hipp. d. vict. rat. & d. int. affect. Paul. l. j. dicto.

77. Piscium genus non arridet, admitti tamen possunt, qui solidioris carnis, saxatiles, sed assandi sunt, vel in vino cum aromatibus elixandi.

78. Potus sit parcus, propemodum nullus, & qui vitam solum sustineat. Cels. & Paul. præcipientibus. Aquâ in totum interdicitur.

79. Vinum vetus Paul. & Ætius commendant. Cerevisia absinthiaca & quæ multum recipit lupuli, magnam hic laudem obstat.

80. Omnium verò optimam esse abstinentiam & sitim, historiæ eorum qui siti solâ convaluere, testimonio sunt, de quibus passim autores.

81. Animi pathemata sedata & moderata esse convenit; maror pestilentissimus.

82. Corporis motus, ut inambulationes ante cibum conveniunt, Hipp. aut, d. int. affect. Cursum Celsus inculcat.

Motus

Motus enim omnibus otij vitij medetur, calorem nativum fuscitat, excrementa discutit, exsiccat, per sudores expellit, corpus roborat. Hipp. l. 2. d. vict.

83. Somnus diurnus & diurnus noxius est: Vigilia quoq; nimia noxia: Utraq; igitur moderata sint, ex Hippocr. præscripto. Dormiat æger in non admodum molli lecto, cui arundinum folia insternantur, & herbæ resiccantes, ut vitex, pulegium, calamintha & similes.

84. Præterea frictions usui sunt, quod rarefaciunt & humores discutunt, imprimis quæ sicca, jejuno corpore in sole fiunt; sed & oleo, sinapi & sale fricamus Paulo & Celso autoribus.

85. Balnea aluminosa, sulphurea & salsa ex aquâ marinâ Paulus extollit. Veteres sudatoria sicca & vaporaria, & arenas calidas laudant.

86. Res deniq; omnes quæ excerni postulant, justo tempore reiiciendæ. Aluus igitur humida sit, natura vel arte. Urina quoq; debito tempore, & quantitate, vel naturæ sponte, vel ureticis adjuvantibus, projiciatur.

PHAR-  
MACIA.

87. Ad secundum curationis instrumentum, Pharmaciam scilicet, accedimus. Curatio communis, ait Paulus, ab evacuatione incipit.

88. Postquam igitur humores præparaverimus & corpora ~~evacuata~~ reddiderimus. (juxta monitum divini præceptoris 1. Aph. 22. 2. Aph. 10.) quod commode Syr. de Eupator. de Absinth. de Byzant. hyssop. oxymell. squill. f. & comp. &c. syr. d. radicib. & decoct. aperitivis, obtinebimus: Humores præsertim aquosos, cum Universalibus tum particularibus purgationibus evacuabimus: idq; per intervalla (subinde ventriculo & jecinori studendo) celeriter enim solvuntur corpora Hydropicorum.

89. Fri-

89. Tribus autem potissimum me ijs & modis aquosos humores & pituitosam eluviem exturbabimus.

90. Primum aquæ ducis per alvum: Qualia sunt Rosa, quæ Fernelio aquas ducere dicitur. Soldanella. Iris. Radix, cortex, semen & succus Ebuli. Ricinus. Euphorbium de bito modo præparatum, à peripheria enim humores aquosos evacuat.

91. Elaterij quoq; miras virtutes extollit Heurnius in prax. & Aphorism. Hippocr. exhibet gr. 2. vel 3. cum spica, vel bdellio.

Diagrydium pro robustis est à gr. v. ad x. vel xii. Gratiola cinamomo correctâ vel aniso propinata: Itemq; Tithymali radicis cortex in umbrâ siccata ex infusi vini. Sed his fortioribus cautè utendum.

92. Alia medicamenta ex Gal. Diosc. Matthiolo alijsq; petere licet: Ex quibus variâ medicamentorum formæ sec. art. construi possunt, additis aperitivis, & quæ peculiari virtute viscera principaliter affecta respiciunt. Formulas apud practicos infinitas reperire est: Quas ab illis mutuare nihil vetat.

93. Utemur autem cathartics primò mitioribus paulatim ad fortiora adscendendo, idq; non continuè, ne virtutem languentem deiciamus, sed per intervalla, ut dictum.

94. Clysteres quoq; hoc in casu, è calidis, siccantibus, & hydrogagis herbis, usui sunt maximo.

95. Secundò & ureticis seu urinalibus humorum abundantiam expugnabimus. Sunt vero Urinalia illa hic usui, quæ humores crassos in venis attenuant, crassum à tenui separant, qualia ex simplicibus radic. aperitivæ, sem. & herb. calida. &c. Ex compositis syr. acetos. f. & comp. Oxymel. f. & squillit. Melicratum cui cinam. incoctum. Suam quoq; laudem.

C

laudem obtinent. rad. pimpinellæ condita. Spirit. Terebinth. juniperi. vinum scillinum.

96. Tertiò ad hydrotica & diaphoretica quoq; deveniendum, quandoquidem illa ad humorum cataclysmos evacuandos, præmissis præmittendis, non levi sunt momento.

97. Talia sunt card. bened. capilli ♀. rad. aperitivæ. chin. samb. Theriaca vetus. Lign. Guajac. Chymici commendant. Bezoardicum minerale. Antimon. diaphoreticum. Sales fraxini, absinthij, Spiritus item & olea Chymicè extracta & alia.

98. Ad ciendos sudores æger contegendus elapsâ à sumpto medicamine semihora, sudabitq; ad tolerantiam. Sciendum autem ad hoc genus auxilij non prius deveniendum, quam vires aliquo modo refectæ, & viscera ab obstructio-nibus libera evaserint.

99. Febre præsentè à calidioribus acrioribusq; cum cibis, tum medicamentis abstinebimus, juxta Clarissimor. medicorum prudentem admonitionem. Mixtis autem utemur ut ei quod magis urget, semper occurramus. Paulo. Alex. Gal.

100. Nam si quis nulla febris ardentis, vel membri inflammati, habitâ ratione, calidis & siccis continuè instaret, næ is in discrimen ægrum adduceret: Causaq; simul & symptomate auctis naturæ bellum inferret.

101. Calida enim & sicca febrem augent, humida verò & frigida leniunt; Sed. & hæc nudè exhibita Hydropi pabulum præbent.

102. Quare in hoc affectu summa prudentia & discretione opus est, ut cautè tam feбри, si qua adest, & causâ Hydropis, quam Hydropi obsistamus.

103. Ter-

103. Tertium deniq; instrumentum curationis Chirurgia est, quæ Anasarca laborantibus maximam sæpè fert o-  
pem. *Chir-  
urgia.*

104. Venæ sectio hoc in affectu dextrè & utiliter adhibetur, maximè si febris urgeat vel aliqua pars inflammata, corpus juvenile, tempus vèrnium, retenta aliqua solennis evacuatio, viresq; constant. Hipp. l. d. vict. in acut. & Galen. comm. ibid.

105. Fæminis igitur venam malleoli internam pertundemus; Viris internam cubiti. Hæmorrhoidum quoq; fluxum spontè obortum aliquando salutis fuisse accepimus, poterit igitur Ars hoc naturæ opus, re ita exigente, imitari.

## DE ASCITE.

**A**scites est abdominis manifestus tumor, à serosa humilitate & paucò flatu intra peritonæum & intestina conclusis, dependens. *ASCITIS  
Definitio.*

107. Dicitur ἀσκήτης ἀπὸ τῆς ἀσπῆς, ab utre, quod hoc in affectu venter haut aliter, atq; uter aqua ex dimidio plenus, turget & distenditur, & de latere in latus revolutus fluctuat.

108. Oritur hoc mali à sanguificationis vitio quod primariò quidem à morbis hepaticis dependet, ab inflammatione, scirrho, obstructione vel abscessu; Secundariò à renibus, vel mesenterio, obstructis, imbecillibus, inflammationis, &c.

109. Quis verò & per quas vias serum in abdomen irripat, disputatur. Pleriq; Medicorum è venis jecoris, omenti (ramo magno venæ portæ) intestinorum, per occultas & cæcas vias, dum scilicet serosum excrementum in hepate & venis primis restitat ac cunctatur, exudare & in peritonæum influere statuunt.

110. Fernelius eos hallucinari ait, & per diæresin vel anastomofin, ruptis, exesis, apertis, fissivè vasis aut visceribus serum confertim elabi, velut in suppurante pleuritide: vel ad modum renum, serum percolantium, autumat.

111. Quæ sententia (cum pace tanti viri quod dixerim) applausum vix meretur. Eò quod feri hujus portio nunc in thoracem, nunc in uterum, vel tibus commeari solet, nulla manifesta erosione vel ruptura præcedente, &c.

112. Adde si visceribus, vel vasis ruptis, serum erumperet, sane non exigua sanguinis portio una emanaret, qui tamen ipso Fernelio & experientia attestantibus in Asciticorum abdomine hautquaquam apprehenditur:

113. Quanquam non nego, ipsum parenchyma hepatis ex humorum putredine, vel siccitate, levi fissurâ, vel abscessu, continui solutionem pati, & venas quoq; nonnunquam erodi posse.

114. Interdum in hepatis membrana parvæ vesiculæ aqua plenæ generantur, quibus disruptis aqua in abdomen descendit: Græci *ιδανιδας* dicunt. Vid. Gal. 7. Aph. 55. in comm. Symptomata & signa Ascitis sunt.

*Symptomata & signa.* 115. Urina si copiosè generetur & reddatur, paulò post repentè supprimatur. Causa copiosæ urinæ coctionis imbecillitas: Suppressionis ejusdem ratio, quod aliorum divertit, per vias inspectabiles & occultas, vel calore viscerum absimitur. Pauca vero quæ emittitur crassa est & rubicunda, tenui nimirum ichore aliò destillante, quod restat adustione crassescit. Exemplo cerevisiæ, urinæ vel aliûs liquoris in loco calido positi.

116. Pedes quoq; intumescunt, quod serosi humores, graves & acres velut per cuniculos carnes penetrant, & ad inferiores partes descendunt. Unde ulcera pullulant incu-  
rabi-

rabilia, veluti Hipp. in Coac. & 6. Aph. 8. Cels. l. 3. c. 2. docent.

117. Sunt autem istiusmodi ulcera insanabilia, quod, quia genio nutritio Epar exiit, aquosus humor generatur, qui carni generandæ inutilis: Unde ulcera ob affluxum perennem salorum humorum exicari & coalescere non possunt. Quod arboribus resiniferis incisis usu venire videmus.

118. Extenuantur quoq; Ascitici, ut & Tympania laborantes, de quo infra, de Tympan.

119. Sitis ardens & inextinguibilis infestat, quæ caloris abundantis & humidis deficientis soboles est. Etenim præterquam quod partes rorido madore & vivifico nectare, ceu proprio pabulo irrigari exigunt: circum viscera acris, salis ac nidorosa humiditas subsistit, quæ fumis & fuliginibus calidis os ventriculi & oesophagum exiccat. Et hinc sitis illa de qua Ovid. 1. Fast. Quo plus sunt potæ &c. & Horat. l. 1. cit.

120. Tussicula arida, vel *ἰσμός*, irritamentum ad tussim, & spirandi difficultas, ab hepatis affectibus diaphragmati sub strati proficiscuntur. Nonnunquam aqua in pulmonum lobos penetrat & tussis oritur, cæteraq; quæ suppuratos commitantur.

121. Proprium autem hujus speciei signum, quod humoris alvo inclusi gravitas percipitur stante ægro, & cum à latere in latus revolvitur fluctuatio auditur.

122. Prognosis à causæ vehementiâ, morbis & symptomatibus simul urgentibus petenda. vid. super. *Prognosis.*

123. In genere Asciticis salus superest, qui sunt *εὐσπλαγχνοί*. Qui corrupta habent viscera, pessimo sunt loco. Signa corruptorum viscerum habet Hipp. l. d. prædict.

124. Postquam speciem Hydropis cognovimus, & judicij dexteritate curabilem fore conjecimus, curationem aggredimur, Diætâ, Pharmaciâ, Chirurgiâ.

*Diætâ.* 125. Diætâ ratio hæc sit. Quandoquidem humores ferrosi cum flatibus, naturæ oneri sunt, & negotia faceſſunt, diætâ calidam & ſiccâ præſcribimus, niſi Aſciticus hepate ſit calidiore, vel quod ſapiffimè uſu venit, febre laboret. Sedulo enim in hac ſpecie, quæ ſuperiore periculoſior, annitendum ut id quod naturæ moleſtum expugnemus, naturam verò conſervemus.

126. Itaq; ſi febris expers ſit æger, victu ad caliditatem & ſiccitatem vergente utatur. Aëre item calido, ſiccò & à vaporibus puro.

127. Cibus ſit parcus & extenuans. Niſi vires, vel conſuetudo aliud ſuadeat. Conſuetudo enim quantumvis peſſima non eſt derepente immutanda. dicente Hipp. de rat. vict. ac.

Sorbitiones & juſcula ſeponantur. Panis nauticus hic quoq; laudatur.

Carnes avium in dumetis degentium, & turturum, perdicum, merularum, pullorum columbarum, caponum, aſſæ profunt.

Poſſunt ex capone cum diureticiſ & flatuſ diſcurientibus decocta ſalubriter propinari.

De potu dum eſtur pax ſit; quod ſi patiens ſitiſ intolerans fuerit, utetur modico vini generoſi, in quo diuretica macerata ſint.

128. Vigiliæ inſuper ſomno ſalubriores, teſte Galeno. Exercitia quoq; in ſole (ni febris, vel anni tempus & cœlum diſſuadeant) tecto capite conferre perhibent; Ut & frictiones quæ aſperis pannis ſunt.

128. Alvus

128. Alvus & vesica quotidie onus suum deponant. Quod si alvus substiterit, clystere, balanovè irritabitur, vel aliter solvetur.

129. Pharmacia deinde reliquos curationis scopos, aquæ PHAR-  
eductionem, meatuum reserationem, visceris sanguifici MACIA,  
confortationem, & causæ antecedentis abolitionem assequemur.

130. Initio ut obstructiones demoliamur, præscribemus sequens vel simile decoctum. Resp. Cort. rad. petros. apij. gramin. rusci. rub. tinct. in vino alb. per noct. temp. an. unc. ij. Rad. Irid. Afari. cort. rad. Tamarisc. cappar. an. unc. j. Agrim. Cich. Ceterach. capill. ♀. an. Mj. sem. anisi. an. marathr. an. scrup. iij. passul. enucl. unc. unam. cinam. acut. conquass. scrup. iij. cic. rub. fl. cord. an. p. a. f. decoct. ad ℥ ij. Colræ add. syr. d. byzant. d. Eupat. an. unc. iij. clarif. & aromatiz. cum santal. citr. cinam. acut. an. scrup. j. quo subinde ad multos dies utatur Asciticus.

131. Humores autem copiosos clysmate commodè & citra virium jacturam evocari à veteribus accepimus, & ratio dictat. Fiunt autem hoc in casu, ex herbis, & quæ ex illis fumuntur, in urina pueri, vel lactis caprini sero, vel aqua simplici decoctis: in quarum decocto mel. anthosat. diaphan. bened. laxativa, &c. dissolvi possunt.

132. Cochleas cum vino potas conferre scribit Peucerus. Holler. alijsq; ex antiquis. Decocta ex aquæducis supra commemoratis, alijsq; herbis, radicibus, corticibus, seminibus, floribusq; calidis & siccis utiliter exhibentur. Pilul. de rhab. d. hiera, adjecto pulvere laureolæ in aceto macerata, vel soldanellæ, & feminibus anisi, marathri, carthami, cum succo agrimon. absinth. Iridis, factæ, ex usu sunt. Siquidem solutâ alvo aquas magna copia deducunt.

133. Alij

134. Alij nodulis in cerevisia utuntur, ex falsa parilla, ligno Chamæd. Ceterach. sem. calidis. cinam &c.

135. Neq; hisce & similibus internis medijs solum evocatur serosus humor, sed & exterius applicatis sacculis, Cataplasmatibus, inunctionibus, humores partim exiccamus partim ad venas & ureteres detrudimus, flatibus simul dissipatis.

136. Sacculi è coma absinthij, major. eupator. orig. pulg. calaminth. ruta. fl. Ebuli, ejusdemq; rad. & coctib. fol. sabinae, Iridis. Scylla. sambuc. fl. chamæm. melilot. Thymel. soldanell. sem. anisi, anethi, marathr. cumin. milij. bacc. lauri. juniperi, &c. confici possunt.

137. Illinitur quoq; alvus succis aquæducarum herbarum, succo Ebuli, sambuci, ex folijs expresso & ad justam consistentiam decocto.

138. Cataplasma è Cochleis tritis Dioscorides & alij laudant. Fiebant olim è stercoribus, bubulo, caprillo. Ebulo, sabina, Iride, in oleo laurino & anethino cum aq. vitæ simul decoctis.

Apparatum Medicamentorum locupletissimum habes apud praticos.

139. Sudores quoq; & urinæ cumulatè fluentes aquas inclusas diminuunt. Quos cient quæ supra commemoravimus.

Valleriola ex ramentis ligni sancti, soldanella, cinam. decoctis parat sudativum.

Quercetanus, gummi lignor. grajaci. junip. sasafras, &c. commendat, specifica sudativa vid. apud eund. Modum probè decoquendi lignum sanctum habet Fernel. d. lue. ven.

140. Hisce artibus Ascitico suppetias feremus, per intervalla dictas evacuationes instituentes: Et subinde viribus, & jeco-

& jecori roborando, nec non eadem operâ obstructionibus expediendis operam navando.

141. Cui scopo inservire possunt hæc tabulæ. Rec. spec. triasant. scrup. j. rhab. el. drag. j. sacch. unc. iij. f. tabulæ.

Vel conditum hoc, aut simile. Rec. conf. fl. Cich. unc. ij. capill. ♀ scolopendr. bugloss, an. unc. j. tr. d. rhab. unc. sem. sp. triasant. cinam. acut. dragm. iij. carn. passul. exoss. unc. j. sem. pulv. dialac. Dragm. iij. cum syr. d. byzant. vel capill. ♀ superbibendo haust. vini generosi quotidie utatur æger.

142. Chirurgia tertio loco auxilio est Asciticis. Sunt autem duplices operationes porissimum in usu. Una quæ è superficie sensim, altera quæ ad cava perringens confertim, evacuat.

*Chirurgia.*

143. Illius generis sunt cauteria potentialia cutem exulcerantia. Et actualia, ut ferramenta candentia, quibus pluribus in locis venter uritur, & ulcera diutius aperta servantur, ut humores emanent.

Compunguntur inguina, scrotum levibus fissuris. Crura interius, quatuor digitorum altitudine supra talum, altis plagis configuntur. Hipp. Gal. Paulo &c. suasoribus.

144. Quod si per hæc venter non evacuatur, ad alterum genus transimus, & Paracentesi humoribus viam facimus. Quam licet nonnulli cum Etasifrato æternâ nocte damnent; nos tamen, cum celeberrimis Medicis, amplectimur.

145. Ea vero ut legitimè fiat & rectè instituat, observanda sunt.

1. Paracentesin ab initio adhibendam dum vires constant, viscera sunt integra, ætas juvenilis adest: Febris abest,

D

vel

vel si quæ adest, ea satis liberalium est intermissionum. Deniq; cum non à gravi morbo dependet Hydrops.

146. 2. Locus sit conveniens. Commodissimè secatur abdomen illo loco quem Hippocr. l. de aff. expressit. Cautione hic opus est, ne muscoli recti sub umbilico incidantur propter venas mammillares & uterinas quæ in faminis satis insignes & numerosæ illic loci. Incidimus igitur, si à jecore vitium, à sinistra parte juxta umbilicum: si à liene, à latere dextro sectionem molimur, tres vel quatuor digitos ab umbilico.

147. 3. Modus sectionis & evacuationis. Sectio scalpello perficienda, accuratè cavendo ne intestina oblædantur, scisso abdomine peritonæum, quod conspicuum fit, dividendum. Tum fistula argentea incurva, pluribus foraminibus perforata imittenda, ut per eam humor efferatur: Non confertim, sed per intervalla. ne cum aquâ anima evocetur. vide Paul. Hippocr. d. loc. in hom. & 6. de morb. vulgar. item de affect. Cels. Trallian. Albucaf. & è recent. Paræum. Hieron. Fabr. ab Aquap. &c.

TIMPA-  
NITIS

definitio.

## DE TYMPANITE.

**T**ertia & ultima species Hydropis Tympanites, est, cum flatu multo & paucò humore abdomen turgere.

189. A Tympano nomen indipiscitur, siquidem hoc in affectu percussus venter, tympani sonum refert.

150. Oritur Tympanites magna ex parte, ventriculo ob hecticam intemperiem chylum crudum, & flatuosum coquente, unde flatus copiosi in ventriculo & intestinis, velut in colicâ passione coercentur & exitum non invenientes in ipsam.

ipsam abdominis capacitatem per cæcos ductus subintrant,  
idq; inflant & distendunt.

151. Etenim quibus tormina & circa umbilicum cruciatus, lumborumq; dolor adest, qui non discutitur, nec purgatione, nec aliter, in hydropem siccum firmatur. 4. Aph. II.

152. Provenit quoq; hoc malum ab hepate & liene imbecillioribus, quorum hoc viscus ut plurimum in peccato est, siquidem rarum est & crudioris sanguinis receptaculum.

153. Hepar imbecille si nanciscitur crudum pituitosumq; chylum, flatus gigni necesse est: Crassa enim, ait Gal. 12. Meth. glutinosaq; cum calefiunt flatuosum spiritum gignere solent. Qui rursus in nebulam & aquam condensatur sæpè, unde Ascites prognascitur, qui non rarò cum Tympania complicatur. Aret. auctore. Aet. I. 10. c. 20.

154. Signa instantis & succrescentis Tympanitis 4. Aph. II. Hippocrates indicat, quibus cibi crudi, fructus horarij, flatulenti, & quæ plura, cruditatibus generandis idonea, nuper diximus, annumerari possunt. *Signa.*

155. Præsentis symptomata & signa sunt, hæc. Ultra tumoris spectaculum, dicit Aretæus, etiam auditu sonorus Tympanites, nam ad palmæ percussum, abdomen sonum edit.

Nec, velut in Ascite, ad corporis conversionem spiritus locum mutat: Et quamvis locus ambiens aliquorsum inclinè, spiritus tamen æqualis supra & infra ubiq; permanet.

156. Rugitus quoq; intus auditur: Et tensio percipitur vehemens.

157. Ructibus deinde ore emissis, & crepitu ventris in-  
vantur ægri.

158. Pulsus parvus est, ob virtutis imbecillitatem & vi-  
rium lapsum: Sed quia ventilationis necessitas urget, cre-  
brior.

159. Marcor & macies corporis adest, membra enim suo  
alimento frustrantur. Quandoquidem & chylicatio &  
sanguificatio interturbantur, vel deiciuntur.

*Prognosis.* 160. Ad prognosin quod attinet, hæc species Hydropis,  
si confirmata, maximè periculosissima esse videtur. Idq;  
ob hecticam intemperiem jecoris, Lienis, ventriculi, me-  
senterij, intestinorum, quæ insanabilis.

161. Omnino enim alteratio partium facta & absoluta,  
non quæ adhuc fit, tanquam lanarum tinctura est indelebi-  
lis, sub qua non modo mutatur, sed etiam alienatur tempe-  
rumentum proprium partis affectæ.

162. Verum ut ut difficilis sit, cæterarum respectu hæc  
Hydropis species, attamen nonnunquam Ascite & Anasar-  
câ mitior & tutior est, maximè si illæ à deplorata causâ ori-  
antur, quo fit ut perfectam curationem quoq; recipiat, in-  
primis si prudentem & solertem nanciscatur Archia-  
trum.

*Curatio.* 163. Tres aut præcipuè scopi curationum in Tympanite  
occurrunt, Caloris nativi Epatis, ventriculi, mesenterij,  
lienis, intestinorum instauratio. Flatuum discussio. Humo-  
rum pituitosorum & crudorum excretio. Quibus scopis at-  
tingendis & obtinendis Diata & Pharmacia inserviunt.

*Diata.* 164. Aër igitur convenit calidus & siccus. Siquidem  
flatibus ulterioribus generandis ineptus, & siccitate humo-  
ri repugnat.

165. Cibus sit siccus, aromatibus conditus. Panis hic  
convenit nauticus, biscoctus, cum seminibus flatus discu-  
tientibus pistus. Carnes assæ offerantur: & omnino cæ-  
tera in victu sint, quæ in superioribus percensuimus. Vina  
profunt calida, generosa, maluaticum, rhenanum & aroma-  
tica, &c.

Sedulò cavendum ab omnibus, quæ flatibus & crudi-  
tatibus materiam præbere apta.

166. Pharmacia hic eadem erit quæ in Ascite, nisi quod *Pharma-*  
hic major flatuum copia, & intemperies debilitasq; visce-  
rum plerumq; major. *gia.*

167. Ad scopos igitur prædictos collimantes initio cly-  
sma iniiciemus Tympanico, quod Rec. Emollientes herbas  
& calidas cum seminibus & oleis flatus discutientibus, addi-  
to modica fermenti, & mellis portione: urinæ pueri im-  
pubis incoctum.

168. Apozema ex incidentibus concinnabimus. Levio-  
ribus quoq; purgationibus ex Hiera & Agarico, addito pul-  
vere Aristol. Gent. Galanga rem perficiemus.

169. Ad flatus & spiritus dissipandos hic ferè, vel similis  
pulvis usui. Rec. coriandr. præpar. unc. j. anisi. cumini.  
carui. sesel. fænic. an. unc. j. sem. cinam. acut. galang. an.  
unc. sem. sacch. q. s. dos. dragm. j. ij.

170. Confectiones roborantes hic multum auxiliij adfe-  
runt.

171. Fetus & sacculi è Radic. Irid. Ebul. Eupat. puleg.  
femin. marathr. anisi, cumini, aneth. leuist. fl. rorism.  
melil. thymi, fursuribus. in aqua marin. vel vino rubro  
decoct.

172. Post

172. Post fatus venter inungi potest oleis aneth. ruta-  
ceo quibus cumini semen incoctum, addito aquæ vitæ mo-  
dico. Vel chejrino inungitur, addito polline cumini,  
galangæ, anisi, baccar. lavri. Vel ol. laurino, simili-  
bus.

173. Cataplasmata ex farinis hoc in affectu ad sani-  
tatem maximo sunt momento.

Ut ex farinis lupin. orob. fanugr. lol. herbis quoq;  
calidis ac seminibus in vino, aqua falsa vel urina pueri de-  
coctis, adjecta portione emplastr. de bacc. lauri. Ung. A-  
gripp. Mart.

Huc faciunt quoq; empl. de melilot. de bacc. lauri,  
cum rutæ, iridis, vel simili succo.

174. Atq; his & similibus auxilijs si æger sublevari  
& periculo defungi se sentiat, quod ex viribus resumtis,  
ventre verò detumescente & laxato conijcies, bene  
est: Sin minus iteratis vicibus medica-  
mentis instabis.



VIRO



VIRO CLARISSIMO,

Dn. CHRISTIANO  
à L E N G E R K E N, Medicinæ Doctorando  
Fautori & amico meo colendo.

s.



*G*nea sic Genij vis editiora capeffit;  
Plumbea sed moles inferiora petit.  
Hinc rectè, quòd jam tua mens aspirat ad  
alta

*Quæ non, si teneas, auferet ulla dies,*  
Omnis enim nixus tanto conspectius in se  
Lumen habet, quanto, quod petitur, melius;  
*At, nî certanti, neutiquam danda corona est*  
*Et portavit onus, quem comitatur honos,*  
Non etenim exiguo molimine tanta parantur  
Pramia, nec segnes Musa beat titulis,  
*Idcirco in stadio medico conamine currens*  
*Magno, pugnavisti fortiter ipse satis.*  
*Splendida signa patent studij, sed strenua virtus*  
*Vellicat auriculam, ducit & ulterius,*  
*Tu pàres, & inis Magno sub præside bellum,*  
*Præside, qui nostra magna columna Schola:*  
Hujus

Hujus sub clypeo victoria leta futura est  
Te penes, & verè victor abibis ovans ;  
Et summi ex merito tibi decernentur honores  
Atq; tuum cinget rubra tiara caput.  
Non onus est sed bonus, quod ius. cum laude parabit  
Mox tibi met, de quo gratulor ex animo ;  
Sed Deus huic voto felix adsternuit omen,  
Quod vovet adplausu nostra camæna suo!

M. CHRISTIANUS Schilt/  
L. L. Stud.






Hujus sub clypeo  
Te penes,  
Et summi ex n  
Atq; tuu  
Non onus est se  
Mox tibi  
Sed Deus huic  
Quod uou

GK



27



ipsam abdominis capacitatem per cacos du  
idq; inflant & distendunt.

151. Etenim quibus tormina & circa  
ciatus, lumborumq; dolor adest, qui non  
purgatione, nec aliter, in hydropem sic  
Aph. II.

152. Provenit quoq; hoc malum ab hepa  
cillioribus, quorum hoc viscus ut plurim  
est, siquidem rarum est & crudioris sang  
lum.

153. Hepar imbecille si nanciscitur  
sumq; chylum, flatus gigni necesse est:  
Gal. 12. Meth. glutinosaq; cum calefiunt flat  
gignere solent. Qui rursus in nebulam &  
satur sapè, unde Ascites prognascitur, qu  
Tympania complicatur. Aret. auctore. A


154. Signa instantis & succrescentis Ty  
II. Hippocrates indicat, quibus cibi crudi  
flatulenti, & quæ plura, cruditatibus gener  
per diximus, annumerari possunt.

155. Præsens symptomata & signa su  
tumoris spectaculum, dicit Aretæus, etian  
Tympanites, nam ad palmæ percussum, a  
edit.

Nec, velut in Ascite, ad corporis conv  
locum mutat: Et quamvis locus ambien  
clinat, spiritus tamen æqualis supra & i  
net.

156. Rugitus quoq; intus auditur: Et  
vehemens.

D 2



the scale towards document

ant,  
cru-  
nec  
. 4.  
be-  
cato  
acu-  
ito-  
ait  
um  
den-  
um  
Aph. Signa  
arij,  
, nu-  
ltra-  
orus  
um  
ritus  
n in-  
erma-  
ipitur  
ucti-